UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct. Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæst. 1. Quibus nocet lapis angularis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-82999

Visual Library

Itaque & idem eſt ſenſus in Græco. Non eſſe hanc rem humano iudicio penſandam, nam diuinæ ſapientiæ, & potentiæ opus eſſe, vt lapis reprobatus, cui ne in medio quidem muro locus erat, fieret caput anguli. Vt Chriſtus pauper, abiectus, fabri filius, damnatus, flagellatus, crucifixus, mortuus fieret Dominus vniuerſorum.

Calumnia Caluini. §. 6. Caluinum iam ante refutaui: ſed pergit tamen Catholicos accuſare. p. 324. [Quamlibet ſplendidis titulis polleant homines, peruerſe tamen fieri ſi quis illos Deo opponat. Quo refellitur diabolica Papiſtarum impietas, qui laruatæ Eccleſiæ ſuæ determinationem verbo Dei præferre non dubitant. Vnde enim ſecundum eos pendet verbi Dei auctoritas, niſi ab hominum placito, vt Deo nihil plus ſit iuris reliquum, quam quod ab Eccleſia precario accipit.]

Reſpondeo. Cum laruis luctatur, & cum aduerſarium non habet, ſibi fingit. Quis fando vnquam audijt, Eccleſiæ determinationem verbo Dei præferendam? aut ab hominum placito pendere Dei auctoritatem? Dei verbum ſummam habet auctoritatē, propria interpretatione non cognoſcitur ſcriptura, illa ab Eccleſia petitur. Illa nobis verbū Dei tradit, & exponit. Interpres regij diplomatis non confert illi auctoritatem, nec à præcone ſuo ius ſuum rex accipit. Cum Dei maieſtas in medium prodit ſilendum non eſt toti mundo, ſed quibus data eſt interpretatio ſermonis, maieſtatis verba explanare debent. Quin Rullus Caluinianus conſenſum gentium ad amplectendā ſcripturam cœleſti numine habere conciliatā auctoritatem affirmat. *theſi* 57. Quod ſi Eccleſiæ id negant, &, vt faciunt, ſuo priuato Spiritui concedant, omnibus erroribus viam aperiunt. Porro etiam loca clariſſima ſolent deprauari à leuibus ingenijs, ideoque etiam in illis opus eſt magiſterio & auctoritate Eccleſiæ. Eſt enim liber ſignatus per interpretationē aperiendus. Nec aliud ſenſere priſci, nec hæretici etiam cum ad ſeſe redierunt. Vt alio loco eorum teſtimonijs demonſtraui. Summa autem impietas eſt laruato Spiritus inſtinctui credere, & ſibi perſuadere penes ſe ſolum reſidere veritatem.

VERSVS 44.

Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem vero ceciderit, conteret eum.

QVÆSTIO I.

Quibus nocet lapis angularis?

§. 1. QVi in eum ceciderit, & in quem lapis ipſe ceciderit. Qui enim in lapidem ceciderit, confringetur, συνθλασθήσεται, נתרעע *nethraghagh*, quod eſt violenter, & cum ſonitu quodam frangi. Cadunt ſuper Chriſtum, qui in Chriſtum incurrunt, inſiliunt, contemnunt Saluatorem & Eccleſiam. Similitudo ſumpta eſt à rebus fragilibus, vitro, cryſtallo, teſta, quæ à Græcis θλαστὰ, *fragilia* appellantur, quæ lapidi illiſa diſſiliunt, ſaxo perdurante. Sunt illa quidem dura, vt plurimum, ideoque dum duci, molleſieri, ſcindique non poſſunt, quaſi cum lapide de victoria contendunt: ſic ſacerdotum & Phariſæorum durities magiſtratu, opibus, potentia, in ſublime eleuata, in Chriſti humilitatem poſitum inferius, ferociter inſultans, lapidis colliſu diffracta eſt.

Super quem vero lapis ipſe ceciderit, *conteret eum*: λικμήσει, hoc eſt, *comminuet*, vt in particulas diſſiliat, & penitus diſſipetur. Syrus תדריוהי *Thedriuhi*, diſſipabit eū, vt fictilia ſolent lapidis afflictu, Eſt autem ab Hebræo verbo זרה mutato ז in ד, quod eſt Syris familiare. Eſt autem plus λικμαίνεσθαι, quam θλασθῆναι, Etſi enim vtrunque eſt in partes comminuere, tamen λικμαίνεσθαι eſt in minutiora fruſta confringere, vt res diſſipetur, & quaſi vētiletur, ſicut vitulum Moſes diſſipauit & ſparſit. Chriſtum autem ſuper aliquē cadere, eſt homines maxime contumaces, qualis erat Pharao, & nunc plurimi, qui nec beneficijs alliciuntur, nec cladibus molliuntur; grauiſſimæ damnationis ſententia, quaſi tota omnipotentia in eos ruente conterere, & diſſipare. Pertinetque ad eos, qui extrema in malitia merſi ſunt, ac potentes, qui bene monentibus obſtrepuut, nolunt audire docentes vtilia. Alludit Chriſtus ad Prophetiam Iſaiæ 30. 9. *Populus eum ad iracundiam prouocans eſt, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus, nolite videre, & aſpicientibus, nolite aſpicere nobis ea, quæ recta ſunt: loquimini nobis placentia, videte errores. Auferte à me viam, declinate à me ſemitam, ceſſet à facie noſtrâ ſanctus Iſraël pro eò quod reprobaſtis verbum hoc, & ſperaſtis in calumniâ, & in tumultu, & innixi eſtis ſuper eo, propter hoc erit vobis iniquitas hæc, ſicut interruptio cadens, & requiſita in muro excelſo. &c.*

Interruptio cadens, & requiſita in muro excelſo פרץ ruptura, ſeu pars muri rupta. 70. vocant τεῖχος πίπτον παραχρῆμα πόλεως ὀχυρᾶς ἑαλωκυίας. Murum cadentem ſubito, ciuitatis firmæ captæ. Sic igitur contriti ſunt, ſic diſperſi, vt nec tribuum diſtinctiò, nec ſacerdotum conſtet ratio vlla. Auguſtinus qq. Euangelic. l. 1. q. 71. ſic interpretatur. *Quod Dominus dicit, qui ceciderit ſuper lapidem iſtum confringetur: ſuper quē vero ceciderit, conteret eum, de his dicit, quod cadent ſuper eum, qui eum contemnunt, vel iniurijs afficiunt: ideo nondum penitus intereunt, ſed tamen confringuntur, vt non recti ambulent. Super quos vero cadit, venit illis deſuper in iudicio cum pœnâ perditionis: ideò dixit: conteret eos, vt ſint impij tanquā puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.* Et Chryſoſtomus: *Duas hic perditiones denotauit: alteram, quia offenderunt & ſcandalizati ſunt: hoc enim eſt quod dicit, qui ceciderit ſuper lapidem hunc. Alteram, quia capti, calamitoſi, & ærumnoſi ſemper vixerunt, & viuent: quam apertiſſime expreßit, dicens, conteret ipſum*: Sic igitur argumentatur. *Lapidem* reprobaſtis, ille in vos cadet, aut vos ſuper illum. peribitis ergo. ex Pſal. 117. 22. inde ſumptum, vnde laudatio plebis. Beza *quem lapidem* vertit. Sed noſter raro quidem, ſed legitimo tamen modo loquendi vſus eſt, Caput anguli Eph. 2. 20. Iudæos enim & Gentes in vnam ſtructuram coagmentat.

Hæc illi audientes v. 46. conabantur quidem occidere, ſed timor populi inuidiæ odioque obſtabat. nā ſicut prophetam eum habebant. Syrus אחידין *Achidin*, tenebant, fortiter id tenebant. v. 45. multa Græca omittunt ἀρχιερεῖς, principes ſacerdotum.

CAPVT XXII.

ET reſpondens Ieſus dixit iterum in parabolis, eis dicens. 2. Simile factum eſt regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo. 3. Et miſit ſeruos ſuos vocare inuitatos ad nuptias & nolebant venire. 4. iterum miſit alios ſeruos dicens: Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occiſa ſunt, & omnia parata: venite ad nuptias. 5. Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam ſuam, alius vero ad negotiationem ſuam. 6. Reliqui vero tenuerunt ſeruos eius, & con-